

christiani in eam intraverunt civitatem et ea omnia que in ipsa aderant ceperunt et habuerunt. Corpus quidem predictæ Frunduxie ante regis presentiam detulerunt, illico etiam aromatibus condiderunt et in sepulchro novissime facto posuerunt; super quod monasterium ad honorem domini nostri Iesu Christi et beatissime Frunduxie constituerunt et fieri fecerunt; in quo corpus eius usque in presentem diem celebratur et veneratur.

*f. 54^d. *Ad cuius tumulum innumerabiles ceci, muti et surdi, infirmitates et langores varios patientes concurrerunt, qui auditum, visum et loquelam virtute domini nostri Iesu Christi, a quo cuncta procedunt, et sine quo nil fieri potest, et intercessione et precibus beatissime martiris recuperaverunt et a langoribus et infirmitatibus deliberabantur. His ita gestis omnes Saracenos, quos Carlus rex ceperat et in carceribus detinebat, ad fidem domini nostri Iesu Christi fecit pervenire, et baptismum sanctum susceperunt; ipsos quidem, qui¹ ad veram fidem Dei vivi accedere recusabant, extra christianorum terram ire concedebat, nullum aliud detrimentum eis faciebat,² tamen promittentes et firmiter eis proponentes, si Saraceni signo regis signati de cetero in aliquo fuerunt reprehensi³ prelio, quod capitali punirentur pena. Exivit autem Carlus rex de Pampilune civitate cum omni gente sua decimo die exeunte mense Septembri, viris nobilibus et prudentibus pro custodibus relictis. Qui per Yspanie provinciam equitantes loca et castra, civitates et munitiones multas ceperunt et innumerabilem multitudinem Saracenorum ad fidem Patris et Filii et Spiritus sancti et individue trinitatis venire fecerunt. Monasteria etiam et ecclesias in illis locis et civitatibus constituerunt et fieri fecerunt, episcopos, presbyteros et diacones, qui in illis ecclesiis divina celebrarent⁴ officia, posuerunt. Cum ad partes scilicet Nazarii⁵ pervenissent, ingens turba Saracenorum undique circumdavit exercitum christianorum, *trans-
*f. 55^a. itum quoque eis prohibere volentes. Ipsi vero Saraceni cum christianis die ac nocte preliantes valde christianos impedierunt et multos morti tradiderunt. Tandem christiani cum ipsis acriter pugnantes divina favente misericordia et domini nostri Iesu Christi auxilio ipsos Saracenos in fugam miserunt, magnam partem de ipsis interfecerunt, semivivos et in campo vulneratos relinquerunt. Et post hec transitum facientes et ad locum Nazarii pervenientes ipsum⁶ viriliter expugnaverunt et magna vi illum ceperunt et habuerunt; quod castrum diligenter custodire fecerunt, ut iter ad expeditionem pergentibus foret securum.

1) Fehlt Hs.

2) Hier muss etwa folgendes ausgefallen sein: 'nisi

quod signo regis eos signari faciebat', in der Hs. ist aber keine Lücke.

3) D. i. gleich 'iterum comprehensi' (capti). 4) 'celebrant' Hs.; vgl.

unten S. 505. 5) Codagn. dachte dabei wohl an Nagera. 6) 'ipi' Hs.